Medicina.

N. 8.

Schola Salernitana seu aphorismologia medicae artis metrica de conserv. valetudine. Posnaniae. Joan Wolrab. 1620.

SCHOLA SALERNITANA, SEV APHORISMOLOGIA MEDICÆ ARTIS METRICA,

DE CONSERVANDA VALETVDINE.

Nunc postremo in lucem edita, aucta, & recognita.

POSNANIÆ.
In Officina Ioannis Wolrabi. Anno 162[illegible].



Quam Magna Heroum series profluxit ab isto
Stemmate, quo fulget Folwarsciana Domus.

GENEROSO AC NOBILI DOMINO,

DN ANDREÆ FOLWARSKY

DOMINO MÆCENATI OBSERVANDISSIMO.

QVantum Alexandro Magno Ilias Homerica, GENEROSE DOMINE, ad debellandum tot gentes inuictas totque Regna subiuganda duodecim tabularum sanctiones ex Eparchia Græcorum erutæ, Romanis: Lacedæmonijs Lycurgi: Solonis Atheniensibus leges: Arabibus ac Ægyptijs, diutina cursus cælici consideratio ad bene beateq; viuendum, recteue instituendas Respub. profuerant. Tantum huius opusculi vere aurei quotidiana auscultatio, vel minimum subseciuis horis recordatio frequentata ad sane viuendum, sane prodesse dignoscitur. SCHOLA SALERNITANA nuncupatur. Eo quod tot & tanta præcepta incolumitatem mortalium dirigentia, prolixa breuitate, breuissima prolixitate adeoq; succinctissima sufficientia concinnata in se contineat. Næ has ce regulas salubriter victandi metra salutifera, sydereq; paradigmata paruum mundum nempe hominem versantia ab oculos pone-

re

re magis præstat quam Antidotum Mytrhidaticum. Offero itaq; tibi GENEROSE Domine hanc metaxam Æsculapij Liminarchamq; sanitatis Limitaneis Professionis Medicæ Aphorismis præsidentem genio valetudinis perfacile patrocinantem. Familiariter gestando & ceu quempiam medogrammatæum in procuranda sanitate consulendo accommodatum. Tuum erit pro innata tibi magnanimitate hoc minutum munusculum magna complectentem læta fronte suscipere. Qui oblatus cum offerente annos Nestoris dudum sospites affatim tibi gratificantur. Posnaniæ, ex Calcographia nostra Anno 1621.

Vestr. Geuerosi. addictiss.

IOANNES WOLRAB.
Typograph. Posn.

Remedium na [illegible] Caduku
Porannu gdi stanes [illegible] wodka szczera [illegible] albo
tego [illegible] rano. Niechaj [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
ta [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] w [illegible] na ten czas gdi [illegible] [illegible]
[illegible] albo [illegible] lub [illegible] [illegible] [illegible] albo [illegible]

Item
[illegible] [illegible] [illegible] dnia dostac [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
a dobrej [illegible] [illegible] na [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] na [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

ANIMI PATHEMATA

REMEDIA GENERALIA.

ANGLORVM REGI ſcribit ſchola tota SALERNI.
Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas tolle graues, iraſci crede profanum:
Parce mero, cœnato parum, non ſit tibi vanum,
Surgere poſt epulas, ſomnum fuge meridianum,
Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum,
Hæc bene ſi ſerues; tu longo tempore viues,
Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant.
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta.

CONFORTATIO CEREBRI.

Lumina mané manus ſurgens gelida lauet vnda,
Hàc illàc modicum pergat, modicum ſua membra,
Extendat, crines pectat, dentes fricet, iſta
Confortant cerebrum, confortant cætera membra.
Lote, cale: ſta, pranſe, vel i: frigeſce minuté.

RECREATIO VISVS:

Fons, Speculum, Gramen, hæc dant oculis releuamen.
Mané igitur, montes, ſub ſerum, inquirito fontes.

SOMNVS DIVRNVS, SIVE MERIDIANVS.

Sit breuis, aut nullus tibi ſomnus meridianus.
Febris, pigrities capitis dolor, atque catharrus,
Hæc tibi proueniunt ex ſomno meridiano.

FLATVS IN ALVO DETENTVS.

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento
Spasmus, hydrops, colica & vertigo, incommoda magna.

COENA.

Ex magna cœna, stomacho fit maxima pœna.
Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.
Pone gulæ metas, vt sit tibi longior ætas.
Si vis esse sanus, sit tibi munda manus.

DISPOSITIO ANTE CIBI SVMPTIOnem, edendi item atq; ciborum ratio.

Tu nunquam comedas, stomachum ni noueris esse.
Purgatum, vacuumq; cibo, quam sumpseris ante.
Ex desiderio id poteris cognoscere certo.
Hæc sint signa tibi, subtilis in ore diæta.

CIBI MELANCHOLICI ET EVITANDI.

Persica, poma, pyra, & lac, caseus, & caro salsa,
Et caro ceruina, & leporina, caprina, bouina,
Atra hæc bile nocent, suntq; infirmis inimica.

CIBI BENE NVTRIENTES.

Oua recentia, vina rubentia, pinguia jurâ,
Cum simila pura; naturæ sunt valitura.

CIBI BENE NVTRIENTES, & impinguantes.

Nutrit triticum & impinguat, lac, caseus infans,
Testiculi; porcina caro, cerebella, medullæ,

Dul-

Dulcia, vina, cibus gustu iucundior, oua
Sorbilia, & ficus maturæ, vuæq; recentes.

VINI BONI PROPRIETATES.

Vina probantur, odore, sapore, nitore, colore,
Si bona vina cupis, quinq; hæc laudantur in illis:
Fortia, formosa, & fragrantia, frigida, frisca.

VINVM DVLCE, ET ALBVM.

Corpora plus augent tibi dulcia, candida vina.

VINVM RVBRVM.

Si vinum rubrum nimium quandoq; bibatur,
Venter stipatur, vox limpida turbificatur.

VENENORVM LETHALIVM REMEDIA.

Allia, rutâ, pyra, & raphanus, cum theriaca nux,
Præstant antidotum contra letale venenum.

AER.

Aër sit mundus, habitabilis, & luminosus,
Nec sit infectus, nec olens fœtore cloacœ.

VINI POTATIO NIMIA.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit medicina.

VINVM MELIVS.

Gignit & humores melius vinum meliores,
Si fuerit nigrum, corpus reddet tibi pigrum.
Vinum sit clarumq;, vetus, subtile, maturum,
Ac bene dilutum, saliens moderamine sumptum.

CEREVISIA.

Non acidum sapiat cereuisia, sit benè clara,
Ex granis sit cocta bonis satis, ac veterata.

CEREVISIÆ VSVS.

De qua potetur, stomachus non inde grauetur.

QVÆ VICTVS RATIO, QVOLIbet Anni tempore sit vtilis.

Temporibus veris modicum prandere juberis,
Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis.
Autumni fructus caueas, ne sint tibi luctus,
De mensa sume, quantum vis tempore Brumæ.

POTVS PRAVVS CORRIGENDVS.

Saluia cum ruta, faciunt tibi pocula tuta,
Adde rosæ florem, minuuntq; potenter amorem.

NAVSEA MARINÆ.

Nausea non poterit hæc quem vexare; marinam
Vndam cum vino mixtam qui sumpserit antè.

CONDIMENTVM GENERALE.

Saluia, sal, vinum, piper, allia, petroselinum,
Ex his fac salsam, ne sit commixtio salsa,

LOTIONIS MANVVM VTILITAS.

Lotio post mensam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Si fore vis sanus, ablue sæpe manus.

PA-

PANIS.

Panis non calidus, nec sit nimis inueteratus,
Sed frementatusq; ,oculatus, sit benè coctus.
Et salsus modicé, ex granis validis electus.
Ne comedas crustam, choleram quia gignit adustam,
Et panis salsus, fermentatus, benè coctus.
Purus sit sanus, non talis sit tibi vanus.

CARO PORCINA.

Est procina caro, sine vino peior ouina,
Si tribuas vinum, fuerit cibus ac medicina.

MVSTVM.

Impedit vrinam Mustum, soluit citò ventrem,
Hepatis emphraxin, splenis generat lapidemq;.

AQVE POTVS.

Potus aquæ sumptus comedenti incommoda præstat,
Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.

CARO VITVLINA.

Sunt nutritiuæ multum carnes vitulinæ.

AVES, ELVI APTÆ.

Sunt bona Gallina, & Capo, Turtur, Sturna, Columba,
Quiscula, Phasiades, Merulæ, simul Ortygometra
Perdix, frigellusq; Oris, Tremulusq; Amarellus.

PISCES.

Si pisces molles, sunt magno corpore, tolles.

Si pisces duri, parui sunt plus valituri.
Lucius & perca, & saxatilis, albiga, tencha,
Gornus, plagitia, & cum carpa, galbio, truta.

ANGVILLA ET CASEVS.

Vocibus anguillæ paruæ sunt, si comedantur,
Qui Physicen non ignorant, hæc testificantur.
Caseus, anguillæ, nimis obsunt, si comedantur,
Ni tu sæpe bibas, & rebibendo bibas.

CIBO POTVSQ; IN PRANDIO, ATque cœna permistio, siue Alternatio.

Intea prandendum sit sæpe parumq; bibendum.
Si sumas ouum, molle sit, atq; nouum.

PISVM

Pisum laudandum delegimus ac reprobandum,
Est inflatiuum cum pellibus atque nociuum.
Pellibus ablatis sunt bona ipsa satis.

LAC TABIDORVM.

Lac ethicis sanum, Caprinum, post Camelinum,
Ac nutritiuum plus omnibus est asininum,
Plus nutritiuum vaccinum sic quoq; ouinum.
Adsit si febris, caput & doleat, fugiendum est.

BVTTRVM

Lenit, & humectat, soluit sine febre butyrum.

SERVM.

Inciditq; lauat, penetrat, mundat quoq; serum.

CA-

CASEVS.

Caſeus eſt gelidus, ſtipans, craſſus, quoq; durus.
Caſeus & panis, ſunt optima fercula ſanis:
Si non ſunt ſani, tunc hunc ne iungito pani.

CASEVS DE SEIPSO.

Ignari Medici me dicunt eſſe nociuum,
Sed tamen ignorant cur nocumenta feram.
Ex pertis reor eſſe ratum, quia commoditate
Languenti ſtomacho Caſeus addit opem,
Caſeus ante cibum confert, ſi defluat aluus,
Si poſt ſumatur, terminet ille dapes.
Qui Phyſicen non ignorant, hæc teſtificantur.

EDENDI ET BIBENDI MODVS.

Inter prandendum ſit ſæpe parumq; bibendum.
Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.
Vt vites pœnam de potibus incipe cœnam.
Poſt piſces nux, poſt carnes caſeus adſit,
Vnica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt.
Singula poſt oua, pocula ſume noua.

PYRA.

Adde Pyro potum, nux eſt medicina veneno,
Fert Pyra noſtra pyrus, ſine vino ſunt pyra virus,
Si pyra ſunt virus, ſit maledicta pyrus.
Dum coquis antidotum pyra ſunt, ſed cruda venenum,
Cruda grauant ſtomach releuant ſed cocta grauatum,
Poſt pyra da potum, poſt pomum vade cacatum.

CERA-

CERASA.

Si cerasum comedas, tibi confert grandia dona.
Expurgat stomachum, nucleus lapide tibi tollit.
Hinc melior toto corpore sanguis inest.

PRVNA.

Frigida sunt, laxant, multùm prosunt tibi pruna.

PERSICA, RACEMI, ET PASSVLE.

Persica cum musto vobis datur ordine iusto.
Sumere, sic est mos nucibus sociando racemos.
Passula non spleni, tussi valet, est bona reni.

FICVS.

Scropha, tumor, glandes, ficus cataplasmata cedunt.
Iunge papauer ei, confracta foris trahit ossa.
Vermiculos, veneremq́; facit, sed cuilibet obstat.

MESPILA.

Multiplicant mictum, ventrem dant Mespila strictum,
Mespila dura placet, sed mollia sunt meliora.

MVSTVM.

Prouocat vrinam mustum, citò soluit, & inflat.

CEREVISIA ET ACETVM.

Crassos humores nutrit ceruisia; vires
Præstat, & augmetat carnem, generatq́; cruorem,
Prouocat vrinam, ventrem quoq́; mollit, & inflat.
Frigidat & modicum Sed plus desiccat acetum,

Fri-

Frigidat, emaceratq; melanch. dat, sperma minora.
Siccos infestat neruos, & pinguia siccat.

RAPA.

Rapa iuuat stomachum, nouit producere ventum,
Prouocat vrinam, præstatq; in dente ruinam.
Si malé cocta datur, tibi torsio sic generatur.

ANIMALIVM VISCERA.

Egeritur tardé Cor, degeritur quoque duré.
Atq; idem stomachus, tamen exteriora probantur.
Reddit lingua bonum nutrimentum medicinæ.
Concoctu facilis pulmo est, citò labitur ipse.
Est melius cerebrum gallinæ, quàm reliquorum.

FENICVLI SEMEN.

Semen Feniculi pellit spiracula culi.

ANISVM.

Emendat visum, stomachum confortat Anisum.
Copia dulcoris Anisi sit melioris.

SPODIVM.

Si cruor emanat, Spodium sumptum cibo sanat.

SAL.

Vas condimenti præponi debet edenti,
Sal virus refugat, rectè Insipidumque saporat.
Nam sapit esca male, quæ datur absq; sale.
Vrunt res salsæ visum, semenq; minorant,

Et generant ſcabiem, pruritum, ſiue rigorem.

SAPORES AC EORVM QVALITATES.

Hi feruore vigent tres, ſalſus, amarus, acutus.
Alget acetoſus, ſit ſtipans, ponticus atque
Vnctus, & inſipidus, dulcis dant temperamentum.

VIPPA.

Bis duo Vippa facit, mundat dentes, dat acutum,
Viſum: quod minus eſt implet, minuit quod abundat.

DIÆTA.

Omnibus aſſuetam iubeo ſeruare Diætam.
Quod ſic eſſe probo, ni ſit mutare neceſſe.
Hippocrates teſtis, quoniam ſequitur mala peſtis.
Fortior hæc meta eſt medicinæ certa Diæta.
Quam ſi non cures, fatuè regis, & malè curas.

DIÆTA ADMINISTRATIO.

Quale, quid, & quando, quantum, quoties, vbi dando,
Iſta notare cibo debet Medicus benè doctus.
Ne malé conueniens ingrediatur iter.

CAVLIS.

Ius caulis ſoluit, cuius ſubſtantia ſtringit,
Vtraq; quando datur, venter laxare paratur.

MALVA.

Dixerunt maluam veteres, quòd molliat aluum,

Huius radices rasæ soluunt tibi fæces.
Vuluam mouerunt, & fluxum sæpe dederunt.

MENTHA.

Mentitur mentha, si sit depellere lenta,
Ventris lumbricos, stomachi vermesq; nociuos.

SALVIA.

Cur moriatur homo, cui Saluia crescit in horto?
Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
Saluia confortat neruos, manuumq; tremorem
Tollit, & eius ope febris acuta fugit.
Saluia castoriumq; lauendula, primula veris.
Nasturt. Athanas. hæc sanant paralytica membra.
Saluia saluatrix naturæ conciliatrix.

RVTA.

Nobilitas Rutæ hæc, quod lumina reddat acuta.
Auxilio rutæ vir quippe videbis acutè.
Cruda comesta recens oculos caligine purgat.
Ruta viris minuit Venerem, mulieribus addit.
Ruta facit castum, dat lumen, & ingerit astum.
Cocta & Ruta facit de pulicibus loca tuta.

CEPE.

De Cepis Medici non consentire videntur,
Fellitis non esse bonas, ait ipse Galenus,
Phlegmaticis verò multum putat esse salubres,
Non modicum sanas Asclepius adserit illas,
Præsertim stomacho, pulchrumq; creare colorem.

Contritis cepis loca denu data capillis,
Sæpé fricans, capitis poteris reparare decorem.

SINAPI.

Est modicum granum, siccum, calidúmq; Sinapi,
Dat lachrymas, purgatq; caput, tollitq; venenum.

VIOLA PVRPVREA.

Crapula discutitur, capitis dolor, atque grauedo,
Purpuream violam dicunt curare caducos.

VRTICA.

Ægris dat somnum, vomitum quoq; tollit & vsum.
Illius semen colicis cum melle medetur.
Et tussim vete: em curat si sæpè bibatur ?
Frigus pulmonis pellit, ventrisque tumorem.
Omnibus & morbis ea subuenit articulorum.

HYSSOPVS.

Hyssopus purgans herba est è pectore phlegma,
Ad pulmonis opus cum melle coquenda iugata.
Vultibus eximium fertur præstare colorem,

CÆREBOLIVM.

Appositum cancris tritum cum melle medetur.
Cum vino potum lateris sedare dolorem.
Sæpé solet, tritam si nectis desuper herbam,
Sæpe solet vomitum, ventremque tenere solutum.

ENVLA CAMPANA.

Enula campana reddit præcordia sana.
Cum succo rutæ, succus si sumitur eius.

Affir-

Affirmant ruptis quòd prosit potio talis.

PVLECIVM.

Cum vino nigram choleram potata repellit.
Appositam veterem dicunt sedare podagram.

NASTVRTIVM.

Illius succus crines retinere fluentes,
Illitus adseritur, dentisq; leuare dolorem.
Lichenas succus purgat cum melle perunctus.

CHELIDONIA.

Cæcatis pullis hac lumina mater hirundo,
(Plinius vt scripsit) quamuis sint eruta; reddit.

SALIX.

Auribus infusus vermes succus, necat eius.
Cortex verrucas in aceto cocta resoluit,
Huius flos sumptus in aqua frigescere cogit.
Instinctus Veneris cunctos acres stimulantes.
Et sic desiccat, vt nulla creatio fiat:

CROCVM.

Confortare Crocum dixerunt exhilarando,
Artus defectos reficitq;, hepar reparatq;.

PORRVM.

Reddit fœcundas mansum per sæpé puellas,
Manantemq; potes naris retinere cruorem,
Vngas si nares intus medicamine tali.

PIPER.

Quod Piper est nigrum, non est dissoluere pigrum.

Phlegmata purgabit, concoctricemq; iuuabit.
Leucopiper stomacho prodest, tussi doloriq;
Vtile, præueniet motum, febrisq; rigorem.

AVDITVS GRAVITAS.

Et mox post escam dormire, nimisq; moueri,
Ista grauare solent auditus, ebrietasq;.

AVRIVM TINNITVS, SIVE SONITVS.

Motus, longa fames, vomitus, percussio, casus,
Ebrietas, frigus, tinnitum causat in aure.

VISVS NOCVMENTA.

Balnea, Vina, Venus, Ventus, Piper, Allia, Fumus,
Porrum cum Cepis, Faba, Lens, Fletusq;, Sinapi.
Sol, Coitusq;, Ignis, Labor, Ictus, Acumina, puluis,
Ista nocent Oculis, sed vigilare magis.

VISVM CORROBORANTIA.

Feniculus, Verbena, Rosa, & Chelidonia, Ruta,
Subueniunt Oculis dira caligine pressis.
Nam ex istis aqua fit, quæ lumina reddit acuta.

DENTIVM DOLOR.

Sic dentes serua. Porrorum collige grana:
Vre cum hyoscyamo simul vtere iure decenti.
Sicq; per embotum fumum cape dente remotum.

VOCIS RAVCEDO.

Nux, Oleum, frigus, Capitisq;, Anguillaq;, Potus,
Ac Pomum crudum faciunt hominem fore raucum.

RHEV-

RHEVMATIS, REMEDIA.

Ieiuna, vigila, caleas dape, tuq; labora,
Inspira calidum, modicum bibe, comprime flatum.
Hæc bene tu serua, si vis depellere Rheuma,
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma Catharrus:
Si ad fauces, branchos, si ad nares, esto poryza.

FISTVLA CVRATIO.

Auripigmentum, Sulphur miscere memento,
His decet apponi calcem, coniunge saponi,
Quatuor hæc misce, commixtis quatuor istis
Fistula curatur, quater ex his si repleatur.

CAPITIS DOLORES.

Si capitis dolor est ex potu, lympha bibatur,
Ex potu nimio nam febris acuta creatur,
Si vertex capitis, vel frons æstu tribulentur,
Tempora, fronsq; simul moderaté sæpe fricentur,
Morella cocta nec non calidaq; lauentur,
Istud enim credunt capitis prodesse dolori.

CONTRA FLVXVM VENTRIS.

Qui fluxum pateris, si non caueas, morieris,
Concubitum, nimium potum, cum frigore motum.

ANNI TEMPORA QVATVOR.

Temporis æstiui ieiunia corpora siccant.
Quolibet in mense & confert vomitus, quoq; purgat.
Humores nocuos, stomachus quos continet intus.
Ver, Autumnus, Hyems, Æstas dominantur in anno.

Tempore vernali calidusq; aër, madidusq; ,
Et nullum tempus melius est phlebotomiæ.
Vsus tunc homini Veneris confert moderatus,
Corporis & motus, ventrisq; solutio, sudor.
Balnea, purgantur tunc corpora per medicinas.
Æstas more calet sicca, & noscatur in illa
Tunc quoq; præcipuè choleram rubram dominari,
Humida, frigida fercula dentur, sit Venus extrà
Balnea non prosunt; sint raræ phlebotomiæ,
Vtilis est requies, sit cum moderamine potus.

OSSIVM NVMERVS, DENTIVM & venarum, in humano corpore.

Ossibus ex denis bis centenisq; nouenis,
Constat homo, denis bis dentibus & duodenis,
Ex tercéntenis decies sex quinqueq; venis.

HVMORES QVATVOR CORPORIS humani.

Quatuor humores in humano corpore constant,
Sanguis cum Cholera, Phlegma. Melancholia,
Terra melancholicis, Aqua confertur pituitæ,
Aër Sanguineis, ignea vis Choleræ.

TEMPERATVRA, SIVE COMPLEXIO Sanguinea.

Natura pingues isti sunt atque iocantes,
Rumoresque nouos cupiunt audire frequenter.
Hos Venus, & Bachus delectant, fercula, risus.
Et facit hos hilares, & dulcia verba loquentes.

Omni-

Omnibus hi studiis habiles sunt, & magis apti.
Qualibet ex causa non hos facilè excitat ira.
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeiq; coloris,
Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

TEMPERATVRA CHOLERICA, siue Biliosa.

Est humor Choleræ, qui competit impetuosis,
Hoc genus est hominum cupiens præcellere cunctis.
Hi leuiter discunt, multum comedunt, citò crescunt.
Inde & magnanimi sunt, largi, summa petentes,
Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax.
Astutus, gracilis, siccus, croceique coloris.

TEMPERATVRA PHLEGMATICA, siue Pituitosa,

Phlegma dabit vires modicas, latosq; breuesq;
Phlegma facit pingueis, sanguis reddit mediocres.
Ocia non studia tradunt, sed corpora somno.
Sensus hebes, tardus motus, pigritia, somnus.
Hic somnolentus, piger, & sputamine plenus.
Est huic sensus hebes, pinguis, facies, color albus.

TEMPERATVRA MELANCHOLICA.

Restat adhuc tristis choleræ substantia nigræ.
Quæ reddit prauos, pertristes, pauca loquentes.
Hi vigilant studiis, nec mens est dedita, somno,
Seruant propositum, sibi nil reputant fore tutum.

Inuidus, & tristis, cupidus, dextræquè tenacis,
Non expers fraudis, tumidus, luteique coloris.

COLORES.

Hi sunt humores, qui præstant cuique colores.
Omnibus in rebus ex phlegmate fit color albus.
Sanguine fit rubeus, cholera rubea quoque rufus.

INDITIA SANGVINIS SVPER FLVI.

Si peccet sanguis, facies rubet, extat ocellus,
Inflantur genæ corpus nimiumq; grauatur,
Est pulsusq; frequens, plenus, mollis dolor ingens.
In primis frontis, fit constipatio ventris.
Siccaq; lingua, sitis, sunt somnia plena rubore,
Dulcor adest sputi, sunt acria dulcia quæq;.

INDITIA CHOLERÆ EXVBERANTIS, siue stauabilis.

Accusat choleram dextræ dolor, aspera lingua,
Tinnitus vomitusq; frequens, vigilantia multa.
Multa sitis, pinguisq; egestio, tormina ventris.
Nausea fit, morsus cordis, languescit orexis.
Pulsus adest gracilis, durus, veloxq; calescens.
Aret, amarescitq;, incendia somnia fingit.

INDITIA PHLEGMATIS REDVNDANTIS.

Phlegma supergrediens propria in corpore leges,
Os facit insipidum, fastidia crebra, saliuas.

Costa-

Costarum, stomachi, simul occipitisq; dolores.
Pulsus adest rarus, tardus, mollis, quoque inanis.
Præcedit fallax phantasmata somnus aquosa.

INDITIA MELANCHOLIÆ ABVNDANTIS.

Humorum pleno dum fax in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulsus, tenuisq; vrina.
Sollicitudo, timor, tristitia, somnia tetra.
Coacescunt rugitus, sapor & sputaminis æquè.
Leuaq; præcipuè tinnit vel sibilat auris.

PHLEBOTOMIÆ ET DE ÆTATE EIVS.

Denus septenus vix Phlebotomon petit annus,
Spiritus vberiorq; exit per phlebotomian,
Spiritus, ex potu vini mox multiplicatur.
Humorumq; cibo damnum lentè reparatur.
Lumina clarificat, sincerat phlebotomia.
Mentes & cerebrum, calidas facit esse medullas.
Viscera purgabit, stomachum, ventreq; coërcet,
Puros dat sensus, dat somnum, tædia tollit.
Auditus, vocem, vires producit & auget.

PHLEBOTOMIÆ VSVS, QVIBVS Mensibus conueniat, quibusue noceat.

Tres insunt istis, Maius, September, Aprilis,
Et sunt Lunares, sunt velut Hydra dies.
Prima dies primi, postremaq; posteriorum,

Nec ſanguis minui, nec carnibus anſeris vti.
Sit ſenium atq; iuuenta licet; ſi ſanguis abundat.
Omni menſe probé confert inciſio venæ.
Hi ſunt tres menſes, Maius, September Aprilis,
In quibus eminuas, vt longo tempore viuas.

PHLEBOTOMIÆ IMPEDIMENTA.

Frigida natura, & frigens regio, dolor ingens.
Balnea, poſt coitum, minor ætas, atque ſenilis.
Morbus prolixus, repletio potus & eſcæ.
Si fragilis, vel ſubtilis ſenſus ſtomachi ſit.
Et faſtiditi tibi non ſunt phlebotomandi.

VENÆ SECTIO.

Hæc facienda tibi, quando vis phlebotomari,
Vel quando minuis, fueris vel quando minutus.
Vnctio, ſiue lauacrum, & potus, faſcia, motus,
Debent non fragili tibi ſingula mente teneri.

PHLEBOTOMIÆ EFFECTVS.

Exhilarat triſtes, iratos placat, amantes
Ne ſint amantes, phlebotomia facit.

SCISSVRÆ VENÆ QVANTITAS.

Fac plagam largam mediocriter, vt citò fumus
Exeat vberius, liberiusq; cruor.

IN SCISSVRÆ VENÆ QVÆ CONSIDERANDA.

Sanguine ſubtracto, ſex horis eſt vigilandum,
Ne ſomni fumus lædat ſenſibile corpus.

Ne

Ne neruum lædas, non sit tibi plaga profunda.
Sanguine purgatus ne carpas protinus escas.

POST PHLEBOTOMIAM QVÆ VITANDA.

Omnia de lacte vitabis rité minutus.
Et vitet potum phlebotomatus homo.
Frigida vitabis, quia sunt inimica minutis.
Interdictus eritque minutis nubilus aër.
Spiritus exultatque minutis luce per auras,
Omnibus apta quies, & motus sæpé nociuus.

PHLEBOTOMIÆ QVIBVS MORBIS, & ætatibus conueniat; & quantum sanguinis quoq; tempore detrahendum.

Principio minuas in acutis, perperacutis,
Ætatis mediæ multum de sanguine tolle.
Sit puer atq; senex tollet vterque parum.
Ver tollat duplum, reliquum tempus tibi simplum.

MEMBRA, QVÆ, QVOQ; TEMPORE venæ sectione vacuanda.

Ver, Æstas, dextras, Autumnus, Hyemsq; sinistras.
Quatuor hæc membra, hepar; pes, cepha, cor, vacuanda.
Æstas hepar habet, Ver cor, sicq; ordo sequetur.

SALVA TELLÆ SECTIO, ET commoda eius.

Ex saluatella tibi plurima dona minuta,
Splenem, hepar, pectus, vocem, præcordia purgat.
Innaturalem tollit de corde dolorem.

DE RATIONE VICTVS SALVTARES, post incisam venam, & emissum sanguinem.

Prima cœna die sit missio sanguine parca,
Lux abeat lætis aucto secunda modis.
Tertia sed placidæ debetur tota quieti:
Quarta & quinta sibi mollius esse volunt.
Balnea sexta petit: mox septima colligit auras,
Fertque vagos circum rura nemusque pedes.
Octaua amplexus dilectæ coniugis, & quæ
Ante fuit, vitam restituisse solet.

VICTVS ET CVLTVS RATIO TETRASTICHIS DVODECIM EXPOSITA.

IANVARIVS.

Mensis amat tepido Iani decurrere victu,
Et refici grato sæpe liquore iubet.
Vena tibi nullos exsudet secta cruores:
Sed calida fas est mergere corpus aquæ.

FEBRVARIVS.

Februa Olus, volucresq; cibis odore palustres,
Esseq; inertifica febre timenda solent.
Pharmaca tunc hauri, tunc scinde in pollice Venam,
Et calido multum flumine membra foue.

MARTIVS.

Martius humores & terræ, & corporis auget:

Tunc

Tunc ratio est puri magna tenenda cibi.
Dulcia tum prosunt acri condita sapore.
Pharmaca non prosunt: Venam aperire nocet.

APRILIS.

Frigore vim lentæ reuocat telluris Aprilis:
Tunc etiam est tenuis, perq; forata cutis.
Tunc intus sunt aucta magis, suntq; omnia plena.
Soluere si Venter, Vena aperire iubet.

MAIVS.

Omnia iam florent: iam formosissimus annus:
Iamq; sibi cuncti mollius esse volunt.
Balnea nunc cole: nunc si Pharmaca sumere cura:
Et tibi nunc, misso sanguine, Vena fluat.

IVNIVS.

Iunius & gaudet, gelidis & pascitur herbis:
Viuifico humori tunc inimica fuge.
Lætitia & recreet tunc mentem blanda voluptas.
Affligat corpus nec medicina tuum.

IVLIVS, siue Quintilis.

Aeris ignifluos incendit Iulius æstus:
Hoc breuior Somno tempore danda quies.
Balnea vitentur: nec Venam tangere ferro,
Nec dominæ petulans accubuisse velis.

AVGVSTVS.

Ipse etiam Augustus Somnum restringit & Escat,
Et Veneris cupidos gaudia ferre vetat.

Phar-

Pharmaca nemo bibat: laceret neq; corpora ferro:
Nec gelidas intra delicietur aquas.

SEPTEMBER.

Pomæ dat, & gratos September ab arbore fructus,
Tunc etiam preßo p scere lacte capræ.
Pharmaca nil prohibet tunc sumere, scindere Venam.
Nec tuus externum vitet aroma cibus.

OCTOBER.

Octobri effertur Venatio, Vrina, Volucres:
Vtere, nec dubites non tenuiße modum.
Sic tamen, vt ne oneres nimio præcordia victu,
Cumq; modo studeas non tenuiße modum.

NOVEMBER.

Eße salutaris perhibetur mulsa Nouembri.
Gingibel & dulci fissile melle natans.
Tum neq; sæue laues, Veneris neq; bella frequentes,
Ante senex tempus ne videare suum.

DECEMBER.

Iuxta mense focum calidis vtare Decembri,
Tunc iaceant Mensis gramina nulla tuis.
Incidas capitis defensi á frigore Venam,
Cinnameoq; tuus fragret odore calix.